



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Lingva Avrea Christianorvm

Ruben, Leonhard

Padibornae, 1606

Capvt 34. Cœnobitis id quoque competit.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56433)

qui habebat donum linguarum, quòd licet erat donū Spiritus sancti, vt constat ex 1. Cor. 12. 10. eū tamen, qui hoc dono gaudebat, absente interprete utebatur. D. Paulus in Ecclesia loqui, 2. Cor. 14. 18. sic inquit. *Si autem non fuerit interpretes, taceat in Ecclesia: sibi autem loquatur & Deo.* Quantò magis ergò illis continenda erit lingua, qui necdum donum linguarum obtinere meruerunt?

*Habēs
donū
lingua-
rum.*

CAPVT XXXIII.

Cœnobitis id competit.

COENOBITIS autem & Monachis maximè conuenire silentium satis superq; patet regulas Patriarcharum singulorum ordinū diligenter scrutantibus. Quarum rerum exempla ex supradictis satis redduntur manifesta, idq; ex ijs quæ de sanctis quibusdam cœnobitis cap. 4. num. 1. † 8. num. 1. † 20. num. 1. † 24. n. 2. † 26. n. 1.

† 27. numer. 3. †. 38. numer. 3. & 47. num. 7. habentur.

Aegyptiorum Monachorum silentium in templo quantum.

Quibus adde primò, quanta diligentia qualiq; circumspectio-
ne silentium ab Aegyptijs mona-
chis circa annum 435. seruatum sit,
vt tradit Cassianus lib. 2. de insti-
tutis Cœnobiorum capit. 10. vbi
inquit. Cùm igitur prædictas so-
lemnitates, quas illi synaxes vo-
cant, celebraturi conueniunt, tan-
tum à cunctis silentium præbetur,
vt cùm in vnum tam innumerosa
fratrum multitudo conueniat,
præter illum, qui confurgens Psal-
mum decantat, in medio, nullus
hominum penitùs adesse credatur,
ac præcipuè cùm consummatur o-
ratio, in qua non sputum emitti-
tur, non excreatio obstrepit,
non tussis intersonat, non oscita-
tio somnolenta discussis malis &
hiantibus trahitur: nulli gemitus,
nulla suspiria, etiam adstan-

tes

tes impeditura, promuntur, nulla vox absque Sacerdotis precem concludentis auditur, nisi fortè hæc quæ per excessum mentis claustra oris effugerit, quæque insensibiliter cordi subrepserit, immoderato scilicet, atq; intolerabili Spiritus feruore succensa, dum ea quæ ignita mens in semetipsa non præualet continere, per ineffabilem quendam gemitum, ex intimis pectoris sui conclauibus euaporare conatur.

Secundò, his adde quòd & cap. 15. eiusdem libri sic inquit. Finitis itaque Psalmis & quotidiana congregatione, sicut superiùs memorauimus, absoluta, nullus eorù vel ad modicum subsistere, aut sermocinari audet cum altero: sed ne quidem per totum diei spatium à cella sua progredi aut deserere opus quòd in ea solitus est exercere

*Foris
eorun-
dem
quan-
tum si
lentiū.*

præsumit: nisi fortè cùm fuerint ad officium necessarij cuiusq; operis euocati. Quòd ità explent foras egressi, vt nulla inter eos sermocinatio penitùs conferatur: sed sic vnusquisq; opus iniunctum exequitur, vt Psalmum vel Scripturam quamlibet memoriter recensendo, non solum conspirationi noxiæ, vel consilijs prauis, sed nec otiosis quidem colloquijs, vllam copiam vel tempus impertiat: oris pariter & cordis officio in meditatione spiritali iugiter occupato. Summa namq; obseruantia custoditur, ne quisquam cum alio ac præcipuè iuniores vel ad punctum temporis pariter substitisse, aut vspiam secelsisse, vel manus suas inuicem tenuisse deprehendatur: si qui verò contra huius regulæ disciplinam reperti fuerint aliquid admisisse, vt contumaces ac præuaricatores mandatorum, non le-

leuis culpæ rei pronuntiati, suspi-
 tione etiam coniurationis pra-
 uiq; consilij carere non poterunt.
 Quam culpam nisi in vnum cun-
 ctis fratribus congregatis publica
 diluerit pœnitentia, orationi fra-
 trum, nullus eorum interesse per-
 mittitur. Hæc ibi.

Tertiò, quantum verò silen-
 tium in Monasterio quinque mil-
 lium Monachorum sub Amona
 Abbate seruatum sit, sic tradit cir-
 ca annum 440. Palladius Hist, 48.
 & Marcus Marulus Spalatensis,
 circa annum 1482. lib. 4. dictorum
 factorumq; memorabilium cap. 6.
 vbi sic scribit. In Tabennensi Mo-
 nasterio, quòd in eremo Scythio-
 tica positum erat, Amona Abbas
 mille quingentis Monachis præ-
 fuisse dicitur. Et cum tot essent ho-
 ris quibus silentium indictum e-
 rat, sæpenumero aduenæ locum
 adeuntes, neminem ibi adesse pu-

Taben-
 nenses
 5000.
 Monach
 chi
 quan-
 tum si-
 lentium
 seruēt.

tauerunt, donec interiùs ingressi, illos vnumquemque seorsum in suis cellulis orantes, aut aliquid aliud facientes conspicerent; adeò non strepitus aliquis, non susurrus, non saltem screatus audiebatur; deniq; multitudo solitudinem taciturnitate æquabat. Hæc ille.

Quartò, eodem Marulo teste Beonem quoq; Abbatem in Thebaidis deserto habitantem, in summo silentio vixisse accepimus, ita vt perquam raro loqueretur, nec nisi quantum exigere videbatur necessitas, taciturnitatem seruans, & simul officio fungens charitatis.

Quintò, Abbas Agatho, vt in Vitis Patrum legitur, lapillum ori per triennium imposuit, ne etiam si fari vellet expeditum illi foret.

Sextò, refert & Thomas de Kempis Canonicus regularis S. Augustini, qui vixit circa annum Domini 1471. de quodã fratre Or-

dinis

dinis Cisterciensis pulchrum exemplum. Fuit, inquit, in partibus superioribus, Monachus quidam Ordinis Cisterciensis, sollicitus custos oris sui, & claustralis disciplinae diligens obseruator. Hic zelo deuotionis accensus, vix vnicum verbum in hebdomada loquebatur. Cui Abbas causa solatij dixit. Frater, do tibi licentiam, quandoq; loquedi cum fratribus. Qui respondit. Pater Reuerende, nō desidero talem licentiam habere. Quòd audiens Abbas, edificatus est in responso fratris libenter tacētis.

Septimò, D. Thomam de Aquino lumen Ordinis Prædicatorum, teste Anthonino & Domino Surio in vita eius cū inter scholasticos versaretur, naturaq; taciturnus esset, & corporis habitu cæteris obefior, bouem mutum appellabant. Albertus verò Magnus magister eius, vbi ingenium

Cisterciensis religio sas.

illius disputationibus experiri coepisset, deprehendens quorsum eius tenderet silentium; Bos ille mutus, inquit, talem mox edet mugitum, ut sonum eius totus admiraturus sit mundus. Et cum omnium doctissimus euasisset, tunc sanè apparuit, quantum docilis taciturnitas, vanæ & arroganti loquacitati, esset præferenda.

Octauò, de Rudolpho Benedictino, Monasterij Affliginien-
sis, diximus cap. 24. num. 2.

CAPVT XXXV.

*Militibus & mulieribus conuenit silen-
tium.*

PRimò, conuenit militibus ut
arcanorum & secretorum sint
tenaces. Sic Antigonus rex Mace-
donum filio Philippo multis præ-
sentibus percontanti ac dicenti:
Quando castra mouebimus? Quid?
inquit, num metuis, ne solus tur-
bam non audias? Sic cuidam Tri-

buno